

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4816

**Auteur(s) :** Thomas Aubry, de Léry [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Thomas Dieudonné [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1245, septembre

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Thomas Aubry vend à Thomas Dieudonné 20 sous de rente et un chapon, à Léry.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CXXXVIII, p. 136-137.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod cum ego Thomas Auberi, de Lereio, deberem Thome Deodato septem libras turonensium, ob restaurationem cuiusdam domus quam mihi dictus Thomas Deodatus tradiderat ad manendum, tali conditione facta coram multis hominibus bonis et fide dignis, quod si dicta domus combureretur, aliquo casu accidente, dum in eadem manerem, tenerer, ego dictus Thomas Auberi, dicto Thome Deodato ad dictum bonorum virorum dicte domus..... restaurare, et quum, casu accidente ita evenit, consilio et dicto bonorum virorum debui reddere, ego dictus Thomas Auberi, dicto Thome Deodato..... libras turonensium. Sed quia de dictis septem libris eidem Thome satisfacere non poteram, vendidi eidem viginti solidos annui redditus et unum caponem quos habebam in parochia de Lereio, pro octo libris turonensium, de quibus sic mihi satisfecit dictus Thomas Deodatus. Relaxavit mihi septem libras quas eidem debebam, et in puris denariis, viginti solidos turonensium mihi dedit pro dicto redditu habendo et in perpetuum possidendo sibi et heredibus suis, absque contradictione mei vel heredium meorum, et recipiendo singulis annis, talibus locis et talibus terminis : videlicet quatuordecim super quamdam masuram ad festum Sancti Michaelis, quam tenet de me Petrus Lebovier apud Forchi, et quatuor solidos ad festum Sancti Egidi super unam peciam terre sitam juxta Quercus ad Capud Ville, quam tenet de me Guillelmus Leduc, et unum caponem ad Nativitatem Domini percipiendum a dicto Guillelmo Leduc, et duos solidos ad festum Sancti Michaelis super unam peciam terre sitam juxta predictas Quercus, quam tenet de me supradicto, Thoma Auberi, Henricus Guennart. Et sciendum quod, tam ego Thomas Auberi quam mei heredes, tenemur dictum redditum dicto Thome Deodato et heredibus suis contra omnes garantizare vel alibi, si necesse fuerit, ad valorem excambiare. In hujus rei testimonium et mu[nimen] ego sepeditus Thomas Auberi presentem cartam tradidi dicto Thome Deodato sigilli mei munimine roboratam.

Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> quadragesimo quinto, mense septembbris.

Testibus hiis : Petro Lebel, tunc vicecomite ; Clemente Clerico, et Ancelino Legoolir ; Stephano Fauseth, et pluribus aliis.